

Annos immortalitas annumeravit, vires  
celestis character suppeditavit, curricu-  
lum suprema sapientia definivit. Tantum  
convenire decebat in Herculis Christiani  
periodo, tantum dabatur unius astri rota-  
tioni, tantum armorum, & arcanæ tute-  
læ opus erat vitiorum domitori: At nos  
jam labores tota vita exantlatos inspi-  
ciamus.

*O T I I E T L I C E N T I A E*  
*Angues. I.*

**I**Nfans etiam num erat, & in materno  
gremio lusitans, jamq; cunis suis reddi-  
to, soporem nutrix blandè advocabat, cū  
angues duosinuosa giratione adreperent,  
Venenum & mortem sibilantes. Terror  
aliis, & inde fuga, nec nisi lethalis confli-  
ctus metuendus, tantum ajunt inesse ine-  
vitabilis toxicì. Nomen illis *Otium* &  
*Licentia*, ambo eius lubricitatis, ut viros  
alioquin cordatos, nequicquam reluctā-  
tes haud rarò implicarint: sed præcipui in  
**C**hristianam infantiam odii, ex quo He-

A 5